

illius testimonii) idem plenius licet declarare et confirmare: potestatem hanc scilicet aliam esse a potestate baptizandi. Sane natura et ratio iudicii illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur (Conc. Trid. Sess. XIV, ep. 7.): atqui potestas remittendi peccata est potestas iudicialis; est enim sententia, quae obligat et eundem quem solvit obligare potest: ergo in solos subditos ab Ecclesia exerceri potest: atqui subditi Ecclesiae soli sunt baptizati; per baptismum enim ingrediuntur homines Ecclesiam; fiunt namque non nascuntur Christiani. Unde Apostolus 1. Cor. V, 12. Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? Ergo potestas remittendi et retinendi peccata, de qua Ioan. XX, 21. seq. alia est a potestate baptizandi.

Sane baptismus non confertur per modum iudicii, sed per modum cuiusdam regenerationis, cuius elementum est necessarium extinctio omnium peccatorum. Rursus actus potestatis conferendi baptismum non est retentio peccatorum; quamvis qui potest baptizare possit negare baptismum, sed negatio baptismi non est actus illius potestatis: e contrario negatio absolutionis est actus illius ipsius potestatis quae potest absolvere; eodem enim auctore Christo potest remittere et retinere peccata. Pariter qui baptizat iudicare plerumque debet utrum baptizandus sit dispositus, sed hoc iudicium non est actus potestatis baptizandi, qui quoad parvulos non exercetur; sed est actus praecedens exercitium potestatis illius requisitus ex rei natura, et aequae necessarius quoad cetera Sacramenta, ex ea lege, quod non est dandum Sanctum canibus. Ergo.

Et re quidem vera constat Patres asseruisse Ecclesiae potestatem remittendi fidelibus peccata, simulque asseruisse baptismum reiterari non posse. Id porro perinde est ac docere quod praeter potestatem baptizandi est alia in Ecclesia potestas remittendi peccata.

Quamvis ergo quidam Patres, ut Cyprianus epist. LXXIII, August. Serm. XCIX, Chrysostomus hom. VI. in 2. Corinth.; Cyrillus Alex. in eum locum Ioannis, aliquando sententiã Christi, Ioan. XX, 21., comprehenderint quoque potestatem dandi remissionem peccatorum per baptismum, id improprie per quandam extensionem analogam fecisse dicendi sunt, ratione tantum habita effectus, qui est remissio peccatorum, qui in baptismo quoque obtinetur, non vero habita ratione specialis modi, quo hic effectus obtinetur, qui modus specialis, Ioan. XX, 21. est potestas remittendi et retinendi peccata, quae alia prorsus est a potestate baptizandi. Vel dici potest Patres testimonium hoc afferre, cum loquuntur de remissione peccatorum per baptismum, ut alteram potestatem per alteram credibilem facerent. Ita Suarez l. c.

**Corollarium II.** Ex interpretatione data in hac et praecedentibus Thesisibus testimonii Ioannis XX, 21. collata quoque interpretatione testimonii Matthaei XVI, 19. liquet turpiter errare Protestantes, cum contendunt verbis Christi Ioannis XX, 21. factam quidem esse Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata, verum hanc potestatem exerceri per ministerium praedicationis, annunciando poenitentibus remissionem peccatorum et impenitentibus iram; ideoque non esse potestatem praetoriam et iudicalem, sed purum ministerium praedicationis aut accensi referentis quod iudex decreverit. Conc. Trid. Sess. XIV, cp. 1.

## CAPUT II.

### DE MODO QUO HAEC POTESTAS EXERCETUR.

Postquam demonstravimus esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, sequitur inquirendum quomodo ipsa ab eam habente exercenda sit. Id vero exsequemur inquirentes 1) quinam sit sensus absolutionis, quae actus est illius potestatis, ut quaedam, quae in hac re ex iam dictis reliquae sunt, quaestiones expediantur: 2) quomodo modo efferi absolutio debeat: 3) an simul cum absolutione Sacerdotis tanquam forma concurrant quoque actus poenitentis tanquam materia, ad gratiam producendam et an 4) impositio manus sit necessaria. Tum de ministro inquirendum erit, quodnam 5) sit subiectum huius potestatis et 6) de potestate iurisdictionis ac 7) de iure reservationis casuum.

### THESIS XII.

(q. LXXXIV. a. 3.)

*Sententia absolutionis est sententia efficax remissionis peccatorum; ideoque sensus huius formulae: Ego te absolvo, non est: Ego te absolutum ostendo vel declaro, sed sensus est, quem verba ex se praeferunt in significatione practica et efficaci. Quae quidem significatio prout est efficax et practica inest verbis ex institutione divina. Ex eadem quoque institutione est quod per ea verba gratia sanctificans significetur: haec tamen significatio non est directa, sed indirecta.*

I. Certum est exercitium potestatis clavium per actum sensibilem debere fieri; est enim potestas iudicialis exercenda erga alios, quibuscum non nisi mediante aliquo sensibili signo communicare potes.

Certum est quoque sententiam iudicalem verbis proferri posse et solere, atque ita semper in Ecclesia prolata esse sententiam ab habentibus potestatem clavium in exercitio suae potestatis. Quocirca formula haec: *ego te absolvo a peccatis tuis*, vel simplicius: *ego te absolvo* sunt expressio completa sententiae potestatis illius quae se exercet remittendo peccata. An aliis verbis et an aliis signis praeter verba exprimere eam sententiam liceat disputabitur commodiore in loco postea. Quaestio nunc est de valore huius sententiae.

Praeter haereticos, qui potestatem absolvendi in Ecclesia negant, et Sacramentum idcirco Poenitentiae (1) inficiantur, citantur quoque Catholici Doctores ante Concilium Florentinum, qui efficaciam absolutionis Sacramentalis non parum minuisse videntur. Graves enim Doctores (cf. Suarez D. XVI, §. 2., et Lugum D. XIII, §. 2.) censuisse dicuntur potestatem absolvendi non esse ad remittendas culpas, sed vel ad remittendam poenam sive aeternam sive temporalem, vel ad declarandam iudicialiter remissionem factam a Deo. Verum horum sententia declarabitur (ut iam monuimus) cum de Attritione agendum erit, ibique constabit et hos theologos alienos esse a doctrina haereticorum, atque, ad praestantiores quod spectat, verbis potius quam sententiis a communi doctrina discedere.

Certa est sententia catholica, quam Eugenius IV in decreto pro Armenis asseruit docens quod « *effectus huius Sacramenti est absolutio a peccatis* »; et quam rursus Concilium Tridentinum Sess. XIV, cp. 6. promulgavit his verbis; « *quamvis absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut a iudice, sententia pronuntiat* »: quae sententia, eodem Concilio auctore, non tantum poenam, sed culpam ipsam remittit; nam qui post baptismum peccaverunt, Deus « ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possint liberari » (cp. 2.). Et Dominus quidem a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum S. quorum etc. Porro hoc « tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis

(1) *Sacramenti* nomine frequenter utimur, licet nondum thesi aliqua ad hoc instituta demonstraverimus Poenitentiam esse sacramentum; quod potius paucis concludemus in fine huius capituli. Sed quia iam demonstravimus potestatem divinitus institutam remittendi peccata, ideoque huius exercitio remitti peccata, quod non fit sine gratia, iam constat ratio cur credamus exercitio huius potestatis Sacramentum haberi.

et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia Catholica tanquam haereticos explosit, atque condemnavit ». (cp. 1.).

II. Potestas remittendi culpas potest esse *princeps, ex propria auctoritate*, et potest esse *delegata ac ministerialis*. Eam certum est soli Deo competere; de hac solum quaestio vertitur. Quaeritur scilicet utrum sententia absolutionis ab eo prolata qui clavium potestatem habet, sit *ministerialiter causa remissionis peccatorum*, eo nempe causalitatis genere quod Sacramentis novae legis asseritur; seposita tamen modo quaestione utrum sententia absolutionis sola, an aliquid aliud simul cum ea rationem causae participet.

Tenendum est *absolutionem* peccati perinde esse ac *remissionem* peccati: respondent enim sibi verba Christi *quaecumque solveritis, quorum remiseritis*. Sane peccato actuali transeunte manet reatus culpa, quo quis obligatus manet, quatenus indignus est gratia Dei dignusque Dei odio, ex quo reatu oritur reatus poenae seu dignitas poenae. Ab eo vero reatu peccati actualis praeteriti solvitur is cui remittitur peccatum. Licet autem valida esset forma haec quoque: *ego tibi remitto peccata*, usurpatur tamen: *ego te absolvo*, eo quod his verbis collata est Petro potestas huiusmodi (Toletus in q. c.).

III. Demonstratio primae partis nulla nova est proferenda; ea enim iam est in praecedentibus demonstrata. Demonstratum est enim posse Ecclesiam remittere peccata non solum declarare quod sint remissa; id vero iam ex verbis Christi et Traditionis testificatione collegimus; remittit ergo Ecclesia peccata reapse cum actu exercet hanc potestatem: exercetur porro cum Sacerdos dicit: *Ego te absolvo*; ergo his verbis fit, non tantum declaratur remissio peccati.

Sane ut argumentum iam factum rursus instauremus: qui habet potestatem clavium, cum a peccatis absolvit, vel quoad ea declarat solum esse aliquem absolutum, vel solam poenam dicitur remittere, vel solum ponit aliquem ritum quo deleatur peccatum, quin ipse vere remittat, actu nempe qui sit formaliter remissio efficax peccati, vel culpam ipse remittit. Atqui nec primum nec alterum nec tertium: ergo culpam ipsam remittit. Divisio Maioris est per opposita, et aliquid ex his dicendum est, atque huc tandem redit quaestio cum adversariis. Probatur Minor quoad primam partem. Etenim  $\alpha$ ) qui solum declarat peccata esse remissa, ipse non remittit; et nuda declaratio non est officium iudicis remittentis culpam, sed potius praecognis annuntiantis sententiam. Christus autem non dixit: *quorum declaraveritis peccata remissa*, sed, *quorum remiseritis*.  $\beta$ ) Si qui absolvit, declarat solum remissam esse culpam, quam ipse non remittit,

quaeritur quanta sit certitudo huius declarationis, et cui fiat haec declaratio? Si enim qui absolvit, ipse est qui efficit remissionem, ut actum hunc iudicalem ex se efficacem ponat, satis est quod ei moraliter certa sit dispositio poenitentis; eiusque absolutionis effectus est infallibiliter certus, si reapse dispositio poenitentis fuerit sufficiens. Et ideo absolutio vere est utilis poenitenti disposito, etsi certitudine infallibili constare nequeat effectum esse secutum: nam utilitas non pendet ex notitia effectus, sed ex eo quod in ordine reali remissio actu fiat absolutione sacerdotis. Verum cum agitur de declaranda tantum remissione iam obtenta; huius utilitas tota in cognitione sita est. Iam vero haec declaratio vel est incerta, vel est certa. Si incerta, quorsum fit? si certa, quodnam est fundamentum certitudinis? an Deus revelat Sacerdoti se remisisse peccatum poenitentis? non. An id colligitur ex dispositionibus poenitentis? verum id per se cognoscere potest poenitens; quorsum ergo declaratio? praeterea nemini certo certitudine infallibili constare potest, se esse in gratia; ea autem exclusa certitudine, nulla alia restat nisi quaedam certitudo moralis, seu probabilitas plus minus fundata: an haec est certitudo, qua gaudet declaratio absolventis? Erit ergo semper absolutio, de qua dubitare licebit: quorsum ergo fit? Et re quidem vera, cui fit huiusmodi declaratio? an Deo? Sed is ea non eget: an Ecclesiae? sed haec potestas in secreto exercetur generatim: an poenitenti? sed ipse iam ex se nosse potest utrum contritus sit, neque id discere melius potest ab alio. Ergo si potestas haec remittendi peccata est potestas declarandi solum culpas esse remissas, profecto quoad remissionem peccatorum est potestas inutilis; eo enim spectaret ut certitudinem rei iam peractae gigneret, atqui hanc gignere nequit: ergo. Porro absonum est dicere inutilem esse eam potestatem: ergo.

Probatur minor quoad secundam partem. Nam si sermo sit de remissione poenae aeternae, nequit ea fieri divisio ut Deus remittat culpam, sacerdos vero poenam; etenim remissio culpa est necessario simul remissio illius poenae. Si vero dicatur remitti solum poena aliqua temporalis, 1° haec non est vere remissio peccati, 2° haec non est actus unicus certe illius potestatis, quae, ut vidimus, a Christo instituta est primo et per se ad remittenda peccata mortalia; horum enim propria poena non est temporalis, sed aeterna: deinde 3° pro remissione poenae temporalis non esset necesse se subiicere huic potestati.

Probatur minor quoad 3.ª partem. Opinio haec quod Sacerdos ponat tantum ritum, quo deletur peccatum, quin ipse remittat, adversatur directe verbis Christi aientis Apostolis: *quorum remiseri-*

*tis, quaecumque solveritis*: his enim positus necesse est affirmare quod vere Apostoli eorumque successores remittant. Idcirco ponunt ipsi quidem ritum, sed ritum, quo iidem per se remittunt peccatum, seu remissionem impertiuntur peccatorum, h. e. ritum absolutionis. Ergo effectus proprius absolutionis est remissio culpa. Cf. proposit. 58. Baii.

Ad Patrum testificationem quod spectat, haec habe. 1) Patres docent Deum ministerio Sacerdotum delere peccata. Pacianus ad Sympr. cp. 1.º « Quod per Sacerdotes suos facit Christus, sua potestas est ». 2) Sacerdotes novae praestare Sacerdotibus veteris legis quod « corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Iudaeorum Sacerdotibus licebat; hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt » Chrysost. De Sacerd. L. III, c. 6. 3) Docent prius dimitti debere peccata Sacerdotum ministerio in terris, quam dimittantur in caelis. Hilarius in Matth. XVI. « Petri iudicium praeiudicata auctoritas est in caelo ». Bernardus in Natali Apost. Serm. 1.º « Sententia Petri praecedat sententiam caeli ». 4) Docent eadem auctoritate a Christo accepta remittere Sacerdotes peccata per poenitentiam sicut per baptismum (Cf. dicta in Coroll. 1º Th. praeced.). 5) Docent eam esse necessitatem absolutionis Sacerdotis, ut rei sint aeternae mortis ii Sacerdotes, qui eam morientibus petentibus negant (Cf. dicta Th. IX, p. II.). Atqui his omnibus continetur professio efficaciae absolutionis, quam defendimus.

Est ergo absolutio sententia ab homine prolata ex auctoritate Dei iudicante, quam sententiam sequitur solutio poenitentis a vinculis peccatorum mediante gratia, quam Deus infundit, ut mox declarabimus.

Constat igitur sensum absolutionis non eum esse: Ego te declaro absolutum aut te solvo a debito poenae tantum. Sed sensus est quem verba per se praeferunt in significatione practica et efficaci: quatenus per ea fit quod significatur.

IV. Nihilominus Theologi subtilius inquirunt sensum huius formulae, qua utimur, *Ego te absolvo*. Nimirum quoniam actio sacerdotis est ministerialis, et nunc remissio peccati fit formaliter per infusionem gratiae, hanc vero Deus immediate infundit atque ad eam actio ministri causalitate solum morali, ut supponitur, ad eius infusionem concurrat, quaeritur 1º quomodo verum sit sacerdotem esse qui remittit, et si ipse remittit deletque peccatum, quid propter eius actionem praestet Deus: quaeritur 2º quomodo exponi possit et debeat haec forma: ut eius sensus directus intelligatur. Plures enim circumferuntur eius expositiones, quas cf. sis penes

Lug. I. infra citando; cuiusmodi e. g. est haec s. Thomae *Ego tibi impendo sacramentum absolutionis* (q. LXXXIV, q. 3. ad 5), aut illa Suaresii D. XIX, Sect. 2. *Ego tibi gratiam sanctificantem confero, remissivam peccati*. Item 3<sup>o</sup> quandoquidem absolvi potest poenitens a peccatis quoque iam remissis, quaeritur quomodo in his casibus formula sit vera; non videtur enim posse remitti quod non est.

Itaque advertendum est 1) remissionem peccati fieri formaliter in praesenti oeconomia per infusionem gratiae sanctificantis; quae proinde duplicem non re sed ratione distinctum effectum habet, nempe delet peccata et facit sanctum. Haec scilicet formalitas *remissio peccati* nequit in hoc ordine haberi sine gratia sanctificante. Absolutio autem causa quidem est gratiae, attamen causa est eius per se sub hoc respectu quatenus est remissio peccati et reconciliatio cum Deo; unde Sacramentum poenitentiae dicitur Sacramentum reconciliationis. Ratio est, quia absolutio est sententia remissionis peccatorum, potestas clavium est potestas remittendi peccata; quod ergo absolvens confert poenitenti, confert sub hac formali ratione *remissionis*.

Advertendum 2) duplicem distinguendam esse significationem in verbis sacramentalibus, alteram, quam habent ex institutione humana estque propria eorum ut verba humana sunt eamque retinent in usu Sacramenti, ut videre est in omnibus aliis Sacramentis; alteram, quam habent tantum ex institutione Christi, quae Sacramentalis est. Haec posterior significatio est significatio practica supernaturalis effectus, ad quem producendum ritus sacramentalis ordinatur. Supernaturalis effectus communis omnibus sacramentis, cum suscipiuntur, est gratia sanctificans, sed non sub eodem respectu ea ab omnibus confertur. Porro si haec altera significatio practica, quae est ex institutione Christi, spectetur, verum quidem est verba absolutionis significare gratiam sanctificantem, quam etiam contractus matrimonialis Christianorum significat: sed quia non eodem modo et sub eodem respectu haec gratia ab omnibus sacramentis significatur, hinc quaestio adhuc restat, quid proprie et per se verba absolutionis significant.

Advertendum 3) remissionem peccati esse certe gratiam seu donum gratuitum, sive sit gratia interior sanctificans sive sit gratia tantum exterior nihil positivum ponens in homine. Cum ergo per ea verba significetur remissio peccati significatur hoc ipso aliqua gratia. Sed quia in praesenti oeconomia gratia, qua fit remissio peccati est ipsa gratia interior sanctificans, et reapse remissio peccati mortalis est restitutio huius gratiae, quaeritur utrum et quomodo ea gratia per ea verba significetur.

His positis si nativa vis verborum consideretur, quae manet in usu Sacramenti, verba: *ego te absolvo* significant simpliciter solutionem a peccatis. Solutionem autem practicam hoc est veram et efficacem significant ex institutione Christi prout a ministro Christi proferuntur. Quamvis vero verba absolutionis ex institutione Christi conferant gratiam sanctificantem, quia per eam fit remissio peccati; tamen, ut ita dicamus, eam materialiter non formaliter significant. Gratia enim sanctificans, quae poenitenti confertur, duplicem formalitatem exercet, delet scilicet peccatum et sanctificat; quarum formalitatum altera sine priore esse potest. Porro licet eadem sit res, quae utramque formalitatem exercent, sub illa tamen priore, prout nempe est deletiva peccati, repraesentatur a verbis absolutionis. Unde si, quod per se fieri posset, in praesenti quoque oeconomia locum haberet, ut remissio peccati fieret sine interiore positiva mutatione subiecti, verba absolutionis adhuc verum propriumque sensum retinerent. Quia vero significatio horum verborum non est tantum theoretica sed practica, qua significatur id quod fit, fit autem remissio peccati per gratiam sanctificantem, hinc gratia sanctificans est verus terminus significatus his verbis sicut est verus terminus effectivus.

Adequata proinde expositio horum verborum haec est: *ego te solvo a nexu peccatorum vel tibi remitto offensam divinam conferens gratiam delentem peccata*, ita tamen ut *directe* significetur remissio, *indirecte* gratia sanctificans.

*Directe* quidem remissio peccati significatur; quia hic est proprius sensus horum verborum secundum humanum usum, quem non amittunt verba in sacramentis, et quia gratia quae per ea verba confertur, confertur sub hac formali ratione prout est remissiva peccati: *indirecte* autem significatur gratia interior sanctificans, per quam fit remissio peccati. Cf. Lugum. Disp. XIII, Sect. 3.

Si vero absolutio feratur in subiectum ea indignum, verba absolutionis non habent veritatem actualem, quia non faciunt quod significant propter incapacitatem subiecti. Unde Ugo a s. Victore libro II. De Sacram. p. 14. c. 18. ait: « hanc formam magis significare virtutem suam, quam eventum ». Sed hoc non est inconveniens, cum et in aliis Sacramentis id locum habeat, si incapaci conferantur. Est autem praeterea advertendum quod intentio absolventis est quodammodo implicite semper conditionata, cum nunquam certa esse possit interior dispositio poenitentis, quae tamen necessaria est ut absolutio valeat.

V. Itaque ad id, quod primo loco quaerebatur, respondemus quod ille, qui absolvit, minister est agens virtute Christi verbaque ministri instrumentaliter operantur in virtute divina, ut ait heic s. Thomas

ad 3.<sup>m</sup> Scilicet, prout est minister Christi, ponit actum absolutionis verbis expressum et hic actus ut causa instrumentalis, sive physica sive moralis ut in Sacramentis, operatur remissionem peccati atque infusionem gratiae delentis peccatum. Deus proinde est causa princeps infusionis gratiae et remissionis peccati, quam operatur ministerio absolventis. De modo autem causalitatis sacramentalis non est huius loci disputare.

Ad id quod secundo loco quaerebatur, iam vidimus quomodo sensus indicatus a Suaresio contineatur verbis absolutionis. Si nempe spectetur significatio sacramentalis et modus, quo in hac oeconomia fit remissio peccatorum, verum est ea verba sic exponi posse: *ego tibi confero gratiam remissivam peccati*, quatenus scilicet consideratur tota efficacia absolutionis: non tamen satis clare significatur per hanc expositionem modus proprius huius actionis conferentis gratiam, qui est in eo ut sit actus iudicialis remissivus peccati: adsignificatur quidem in obliquo cum dicitur *gratiam remissivam*; sed et gratia baptismi est gratia remissiva peccati. Oportet scilicet ut in recto remissio significetur, et per eam gratia, qua fit remissio. Quare magis probatur nobis expositio quam dedimus.

De expositione s. Thomae cf. Lugum l. c. Ea quidem verum dicit, sed non videtur facere satis quaestioni. Cum enim verba absolutionis aliquid directe significant, expositio eius, quae quaeritur, est expositio huius sensus directi; at expositio s. Thomae fit per reflexionem in ipsum actum cuius sensus quaeritur. Forte vis expositionis s. Thomae est in eo verbo *sacramentum*, ut voluerit ipse solum significare efficaciam absolutionis; sacramentum enim est efficax eius quod significat.

VI. At illud vero quod quaerebatur, quando poenitens absolvitur a peccato iam remisso, dicimus etiam tum verba absolutionis verissimum sensum fundere. Nam vere quis potest rursus et rursus remittere debitum aliquod seu offensam sibi illatam. Sicut enim qui se obligavit ad aliquid alteri praestandum, potest iterum iterumque se ei obligare ad idem, renovando actum obligationis, qui in illud idem directe feratur, quique per se sit titulus sufficiens, cur illud praestare teneatur; ita potest quis iterum iterumque renunciare iuri, seu remittere debitum vel offensam. Ad renunciationem enim veram non requiritur, quod sit nunc in nostra potestate quod renunciamus; satis est quod fuerit; nam repetita renunciatione ponimus rursus titulum sufficientem cur non exigamus debitum; quod potest vere fieri pluries. Et certe homines, qui offensas sibi illatas saepius remittere solent, non putant se mentiri cum post primam vicem dicunt se eas remittere. Qua in re discrimen est inter has duas af-

firmationes: *solvo te a vinculis* (utique materialibus) *et solvo te a peccatis*. Prior enim affirmatio, cum affirmet actum externum, nequit esse vera nisi solvendus sit actu ligatus: altera vera affirmat actum voluntatis remittentis iniuriam et cedentis iure quod offensus habet ad odium et inimicitiam, quae remissio saepius fieri potest. Ita Lugus, l. c.

Dices: si verba absolutionis directe significant solum remissionem peccati, cum ad remissionem peccati venialis per se non requiratur gratiae infusio, unde colligitur conferre absolutionem Sacerdotis gratiam, cum peccata tantum venialia subiiciuntur clavibus?

Respondeo potestatem absolvendi esse primario collatam pro remissione peccatorum mortalium (q. LXXXIV, a. 2. ad 3.<sup>m</sup>) ideoque ex institutione Christi habere efficaciam ad conferendam gratiam. Hanc autem efficaciam non amittit cum exercetur erga peccata tantum venialia, quia eadem potestas est, quae ex sua natura ex Christi institutione eam efficaciam habet, quae exeritur proinde quotiescumque potestas solvendi exerceri potest; peccata autem venialia remitti possunt infusione gratiae, et homo obnoxius solis venialibus capax est ulterioris gratiae.

Ex data explicatione sensus, qui subest sententiae absolutionis intelliges quid sit remitti peccatum *directe*, quid remitti *indirecte*. Directe remittitur quod exercitio potestatis iudicialis clavium remittitur, ita autem remitti non potest nisi quod eidem potestati subiicitur, et in quod ius habet qui potestate utitur; remittitur *indirecte* quod deletur per gratiae infusionem, cuius causa est absolutio.

VII. Difficultas contra primam partem Thesis et pariter contra Thesim VIII. illud esse potest quod Patres distinguentes inter potestatem Dei et ministri, doceant quod Dei sit vivificare peccatores, Sacerdotes vero curent et solvant viventes, non vero suscitent mortuos, Augustinus in Psalm. LXXXVII, n. 10. utanturque ad id confirmandum exemplo Lazari, quem ministri solverunt, postquam Christus illum vivificavit, ut illud Sacerdotes faciant erga peccatores, quod exsecuti sunt ministri in Lazaro, Augustinus in Ioan. Tract. XLIX. Gregorius M. in Evang. hom. XXVI. vel negent Sacerdotes remittentes peccata ius exercere alicuius potestatis, Ambrosius De Spiritu S. L. II, c. 48. vel eam potestatem Sacerdotibus Novae legis asserant, quae Sacerdotibus Veteris legis competebat, declarandi nempe immundum vel mundum a lepra, Hieronymus in Matth. XVI, 19. vel distincto duplici effectu, hinc liberare a putredine peccatorum, hinc prohibere ne ad peccata homines redeant, illud Christi virtuti asserant, hoc labori et diligentiae Apostolorum, Chrys. in Matth. hom. XV, 6.